

GRAD
BUHR
888
P296nO
J54

A 774,345

www.libtool.com.cn

Jensen—Philodemi Tepi Oikonomiae

UNIV. OF MICHIGAN

MAY 18 1908

PHILODEMI
ΠΕΡΙ ΟΙΚΟΝΟΜΙΑΣ
QUI DICITUR LIBELLUS

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN *Kiel University*
ACADEMIA KILONIENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESENDOS

SCRIPSIT

CHRISTIANUS JENSEN
FRISIUS

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI MCMVI

888

www.libtool.com.cn

P27671 Ø

J54

B1/2

Haec dissertatio est praefatio editionis Philodemi *περὶ
οἰκονομίας* qui dicitur libelli, quae mox in aedibus B. G. Teubneri,
bibliothecae scriptorum Graecorum et Romanorum pars, prodibit.

No. 35. Rektoratsjahr 1905/6

Zum Druck genehmigt:
Prof. MARTIUS, z. Z. Dekan

www.libtool.com.cn

SIGOFREDO SUDHAUS

PAULO WENDLAND

S

179088

www.libtool.com.cn

I.

De libelli editionibus.

Bibliothecae Herculaneensis papyrus numero 1424
insignita, quae inscribitur:

*Φιλοδήμου περὶ κακιῶν καὶ τῶν ἀντικειμένων
ἀρετῶν καὶ τῶν ἐν οἷς εἰσὶ καὶ περὶ ἡ Θ¹⁾)*

primum edita est anno 1824 Oxonii in Herc. voll.
tomo I, pp. 83—105. Tribus vero annis post etiam
a Neapolitanis publice proposita est in voll. Herc.
coll. pr. parte III, pp. 1—55. Cum autem editio
Neapolitana viginti octo columnas praebeat, in apo-
grapho Oxoniensi viginti duae tantum perturbato exstant
ordine. Sex enim primas Hayterus²⁾, qui papyrus
describendam curavit, ea de causa videtur omisisse,
quod adeo mutilatae essent, ut eas describere operae

1) In apographo Oxoniensi numerus Θ omittitur.
v. W. Scott, fragmenta Herculaneensia (Oxford 1885) p. 71.
— ex amplis illis voluminibus, quae erant de Virtutibus et Virtutibus oppositis, praeter vol. IX servata sunt: *Φιλοδήμου περὶ κακιῶν* I (Herc. voll. Oxon. I (1824) et Coll. Pr. III (1827)) editum a Sauppio (Lips. 1859) et Ussingio (Hauniae 1868)
v. Scott, p. 73 — fragmenta exstant voluminis Z, δέστι περὶ κολακείας (C. A. I. 74—83) v. Spengel, Philol. Suppl. II, p. 497 et 525. accedunt fragmenta incertorum librorum.
v. Scott, p. 69. cf. etiam Catalogo generale dei Papiri Ercolanese redatto dal Dr. Emidio Martini p. 104 in Comparetti e De Petra, La villa Ercolanese dei Pisoni.

2) v. Scott, introduction p. 5.

pretium non putaret. Ceterae autem columnae inter se respondent hunc in modum:

~~www.libato.it/VII-X~~ = Ox. col. IX—XII.

Neap. col. XI—XIV = Ox. col. V—VIII.

Neap. col. XV—XVIII = Ox. col. I—IV.

Neap. col. XIX—XXVIII = Ox. col. XIII—XXII.

Primam autem textus restitutionem atque interpretationem editores Neapolitani (Franciscus Javarrius et Carolus Maria Rosinius) exemplo chalcotypo addiderunt. Qui viri cum lingua Graeca non satis eruditi audacius quam rectius coniecturis lacunas explerent, nisi quod lacunarum spatii et litterarum traditarum diligenter rationem habebant, non multa laudabiliter gesserunt.

Neque igitur mirandum, quod aliquanto dilucidior textus evasit atque concinnior, cum anno 1830 Carolus Goettlingius una cum Aristotelis et Anonymi Oeconomicis in lucem ederet hunc Philodemi librum.¹⁾ Sed ne hic quidem eam quam debebat opusculo praestitit operam. Nam in supplendis vociibus cum plures plerumque poneret litteras, quam per lacunas liceret, atque etiam in interpretandis sententiis tantum gravissima Neapolitanorum vitia correxisse satis haberet, quae omnino aut corrigendo aut interpretando effecit, non magni sunt pretii: immo permultos ipse novos commisit errores.²⁾ Quorum nonnulla emendare

1) Ἀριστοτέλεος οἰκονομικός. Ἀνωνύμον οἰκονομικά. Φιλόδημον περὶ κακιῶν καὶ τῶν ἀντικειμένων ἀρετῶν Θ coniuncta edidit et adnotationem adiecit Carolus Goettlingius, Jenae 1830.

2) Huius editionis severam censuram egit L. Spengelius in ephemeride cui inscribitur „Münchener gelehrte Anzeigen VIII“, 1838, p. 1003 sq.

studuit G. F. Schoemannus in commentatione, quam inscripsit: *Observationes in Theophrasti oeconomicum et Philodemi lib: IX. de virtutibus et vitiis.* Gryphisw. 1839 (opusc. III, p. 206 sq.) Sed vir doctissimus cum apographorum loco Goettlingii uteretur editione, ut in interpretandis locis quibusdam difficilioribus summi ingenii egregiaeque doctrinae edidit specimen, ita textum plerumque corrigendum reliquit Spengelio, qui eodem anno recensuit Schoemannni commentationem¹⁾ et pro insigni linguae Graecae peritia nonnullos locos luculenter emendavit.

Denuo anno 1857 totum huius libelli textum una cum Theophrasti characteribus edidit J. A. Hartungius.²⁾ Inspicias velim hanc editionem: statim animadvertes intellegendi et emendandi studium sane laudabile, sed eiusdem in lacunis supplendis fere inauditam audaciam atque socordiam. Atque plus etiam eo vir doctus videtur peccavisse, quod non raro vim afferendo litteris traditis textum conabatur reddere perspicuum. Accedit, quod etiam Hartungius apographum O adhibere supersedit. Quid, quod fugerunt eum, quae Spengelius emendaverat? Ita factum est, ut non raro peiora redderet ea, quae priores correctores praestiterant. Vernacula autem profecto interpretationem, quam addidit, silentio praeterire praestat.

Tam misera igitur manebat libelli condicio, ut quicumque legeret, passim incideret in sententias aut

1) Münchener gelehrt Anzeigen IX, 1839, p. 505 sq.

2) Philodemi Abhandlungen über die Haushaltung und über den Hochmut und Theophrasts Haushaltung und Charakterbilder, griechisch und deutsch, mit kritischen und erklärenden Anmerkungen von J. A. Hartung. Leipzig 1857.

lacunis gravibus interceptas aut obscuratas falsis supplementis. Tandem huic miseriae succurrere studuit Henricus Perronius in dissertatione, cui titulum praeposuit: „Textkritische Bemerkungen zu Philodems Oeconomicus. Zürich 1895“. — Nec negaverit quispam virum praematura morte abruptum pro virili parte de libello meruisse. Quanti enim interesset ad textum restituendum apographon O postquam iam Spengelius paucis illustravit exemplis, Perronius primus omnium utroque apographo accurate comparato in secundo praesertim dissertationis capite, cui inscripsit: „Stellen, die mit Hülfe von O berichtigt werden können“, eam quam par est apographo O vindicavit auctoritatem et locos complures primo obtutu recte emendavit. Etiam in altera opusculi parte, cui titulus est: „Stellen, deren Ergänzung sich mit Hülfe der in N gegebenen Buchstaben und Raumverhältnisse unter genauerer Berücksichtigung des Gedanken-zusammenhangs berichtigen lässt“, saepius minores lacunas feliciter explevit. Ubi vero maiores hiant lacunae, et in verbis inserendis audacius videtur versatus esse neque intellexisse verum sententiarum contextum neque satis respxisse Philodemi dicendi consuetudinem. Nec non eo peccavit, quod nonnullis locis admisit hiatum, quem dedita opera Philodemum evitasse nunc inter omnes constat.¹⁾

Restat iam, ut quomodo ipse in edendo libello priorum editionum rationem habuerim paucis indicem.

1) Cf. W. Crönert, Die Überlieferung des index Academiorum in Hermae tomo XXXVIII, p. 389 — in referendis Xenophontis sententiis Philodemus plerumque hiatus vitandi causa verba diligenter transposuit (cf. col. II).

Nam in apparatu cum brevitas quam maxime appetenda esset, virorum doctorum coniecturas ibi tantum commemoravi, ubi aut ad textum restituendum aut ad sensum illustrandum alicuius momenti viderentur esse. E. g. coniecturas propter neglectas veterum librariorum scribendi leges improbandas omnes omisi. Praeterea cum textus scateret editorum erroribus, in disiungendis sententiis plurima corrigenda erant, quae in apparatu raro tantum indicare licebat. Denique quod attinet ad explicandum libri argumentum, variarum sententiarum tam rudis est moles, ut qui fusius eas enarrare velit atque refutare, novum possit conscribere librum. Itaque de paucis locis, qui dubii videri possent, in cap. IV accuratius disserui: cetera vero iam per se plana fore confido.

II.

De papyro et apographis.

Papyrus quo anno et a quo viro evoluta sit, in ^{Papyri} _{historia}. Inventario papyrorum Neapolitano non relatum est.¹⁾ Hoc tamen pro certo potest affirmari designatam esse papyrum ante fugam regiae Borbonicae (1806—1809), qua κειμήλια illa Herculanea in Siciliam deportata sunt. Cum enim Hayterus, qui inde ab anno 1802 papyris evolvendis praefuit, anno 1809 in Britanniam reverteretur, etiam huius papyri apographum eum secum tulisse constat.²⁾ Nec minus certum est apographum Neapolitanum confectum esse, priusquam

1) v. quoque Martini l. l. p. 134.

2) Exemplum ab Hayteri manu scriptum et emendatum adhuc servatur in Bibliotheca Bodleiana; v. Scott, introduction p. 5.

Hayterus papyrum designandam curaret, cum N plerumque pleniorum textum exhibeat¹⁾ et desint in O tegmina illa et statumina (*sovraposti* et *sottoposti*), quae Neapolitani in margine designationis diligenter descripserunt et semper fere recte textui inseruerunt. Ipsa autem fuga papyrum non graviter afflictam esse satis verisimile est. Servatur enim in papyrorum officina etiam altera designatio a Carolo Oratz²⁾ facta apographi Oxoniensis non ita dissimilis. Hodie autem papyri margines superiores atque inferiores paulo plus detritae sunt et litterae nonnullae prorsus evanuerunt. Praesertim sex primae columnae iam initio misere foedatae nunc in partibus inferioribus plane derasae sunt.

Papyri ^{de-} Voluminis quantum hodie restat longitudo, si singulas partes coniunctas cogites, est duorum fere metrorum et viginti centesimarum, latitudo viginti centesimarum. Servatur autem divisum in octo tabulas (*cornici*) vitro inclusas, quarum prima continet huius editionis fr. I et II et coll. I, II, secunda fr. A, fr. B₁, coll. III—VI, fr. B₂, tertia coll. VII—X, quarta XI—XIV, quinta XV—XVIII, sexta XIX—XXII, septima XXIII—XXVI, octava XXVII, XXVIII et titulum.³⁾ Papyri plagulae tam bene conglutinatae sunt⁴⁾, ut singulas fissuras certe indicare non possim:

1) In ceteris papyris Herculaneensibus, quae adhuc in lucem prodierunt, res secus se habere solet. cf. ex gr. Philod. rhet. ed. Sudhaus, I, praef. p. X, Academicorum philosophorum index Herculaneensis ed Mekler, praef. p. V, Polystratus ed. Wilke, praef. p. VI.

2) De hoc vide Croenertum in Hermae tomo XXXVIII, p. 370.

3) In ipsis tabulis fragmenta adhuc inedita numeris non signata sunt.

4) Similiter res se habet in pap. 208 secundum Croenertum; v. Kolotes und Menedemus (Wesselys Studien VI) p. 162.

quas quidem cognoscere mihi viderer, inter se distabant septenis fere centesimis. Ceterorum autem metrorum libationes hae sunt: spatium inter binas fissuras evolutione factas minuitur a centesimis 5 ad 1, 1. In columna nona longum est 3,3 centesimas. Spatia autem litteris repleta altitudine sunt 18, latitudo 5,5—6 centesimarum. Versuum numerus in singulis columnis exaratorum inter 45 et 49 variat, ipsi versus 18—25 litteras continent.

Suo iure Croenertus hoc volumen, quod ab eodem librario atque papyrus numero 1008 (*περὶ κακιῶν I*) scriptum est¹⁾, papyrorum ordini melioris notae assignavit.²⁾ Scriptura librarii nusquam compendiaria est. Litterae numquam inter se coniunctae omni ornamento carent³⁾ et tam perspicuo et aequabili charactere exaratae sunt, ut quasi typis expressae videantur.⁴⁾

De ortographia pauca tantum dicenda sunt, cum libellus a gravioribus vitiis immunis sit. Librarius probe et diligenter archetypi formas tradidisse videtur. E. g. ubi suam consuetudinem secutus pro *ι* longa ει scripserat, postea ε puncto supraposito delevit (v. πολέιτικήν VIII, 3, τεχνέται XVII, 31 cf. τεχνίτης XVII, 2).⁵⁾ Exceptum est solum καχομειλίαν IV, 8, sed huius vocis in N integre servatae cum hodie

1) v. Croenert, Memoria Graeca Herculaneensis, p. 11.

2) v. Croenert, l. c. p. 8.

3) cf. tabulas in fine libelli additas.

4) Neque igitur magnopere mirandum, quod in Museo Nazionali femina quadam spectandi studiosa cum ad tergum meum adstitisset et aliquamdiu attente papyrum inspexisset, plena admiratione subito exclamavit: „Ergo etiam typis usi sunt ista aetate!”

5) Non recte Croenert, l. l. p. 27: πολέιτικήν, τεχνέται.

tantum restent litterae *ναχο* *ν*, etiam hic ε deletum fuisse verisimillimum est. Ceteras autem scribendi proprietates hic enumerare supersedeo, cum in verborum indice omnia diligenter enotaverim. De iis autem, quae in indicem referri non poterant, ut de syllabis in fine versuum disiungendis, de iota muto adscripto aut omissso ceterisque huiusmodi quaestionibus ad Croenerti librum, cui inscribitur „Memoria Graeca Herculaneensis“, ubi eorum qui Volumina Herculaneisia scripserunt consuetudines diligentissime compositae sunt, te delegatum esse volo.

Inter-
punctio. Ut mos est huius aetatis, librarius interpunctionem paragrapho subter lineam in sinistra columnae parte posito indicavit. Contra spatium numquam fere vacuum reliquit, nisi quod saepius sub finem enuntiati supra lineam punctum adiecit, quod in editione stellula (*) significavi. Paragraphi autem διπλῆς similis tria exstant exempla: XVIII, 7, XXI, 35, XXIV, 19. Praeterea sub finem et recensionis (XII, 2) et totius libelli in sinistro margine coronidem appinxit. Denique commemorandum est ad sinistram nonnullorum versuum (fr. 2, col. V, 5, col. XIII, 7) notam huius formae ~~adscriptam esse¹⁾~~, qua quid significatum sit, adhuc mihi non certe constat.

Corri-
gendi
genera. Librarius si unam litteram perperam scripsit, emendationem supra lineam adiecit, nisi quod col. VII, 3 A in ε et col. XV, 9 κ in χ correxit.²⁾ Complures

1) Etiam in Philodemi περὶ δργῆς libro eiusmodi lineolas inveniri mecum communicavit Carolus Wilke amicus. punctum in sinistro margine additum in pap. 1032 commemorat Croenert, Kolotes und Menedemus, p. 169³⁵.

2) Croenert οὐκ εὑρεθῆσομένων se legisse confirmat M. H. p. 146. Sed cum aperte scriptum sit: ×, equidem non possum assentiri viro harum rerum peritissimo, praesertim cum nullum aliud huius psiloseos exemplum in V. H. extare ipse testetur.

autem litteras falso scriptas puncto supraposito delevit. Memorabilis exstat locus in col. XI, 32, ubi postquam scripsit: ποτερον ταῦ οἰκετῶν ἐγέρεσθαι, καθεύδειν δ' ὑστερον, secundum Theophrasti textum ante καθεύδειν supra lineam addidit καί, littera δ, ut mihi quidem videbatur, non expuncta.

Denique de fide apographorum ut pauca addam, ^{Apo-}
_{grapha.} N eo tempore confectum esse, quo papyrus integrior esset, iam supra p. 9 sq. commemoravi. Delineator autem sane quam sollerter et diligenter munere suo functus est. Etiam tegmina illa atque statumina, quae in margine paginarum designavit, excepto uno tantum fragmento (col. XII v. 36—39) recte inseruit. Neque tamen fieri poterat, ut praesertim in laciniis misere contritis et derasis omnia litterarum vestigia recte dignosceret. Itaque quae paulo audacius viderentur scripta esse, ipsi viri docti Neapolitani aere incidi vetuerunt. Verum semel etiam illud accidit, quod in rhetoriconum voluminum fragmentis Sudhausius compluribus exemplis probavit¹⁾), ut corrector emendandi studio abreptus quae sensu postulari viderentur interpolare non vereretur. Nam col. IX, 32, 33 cum O praebeat: MΕΝ|....Ν et hodie in papyro legatur MΕΝ|....Ν, corrector Neapolitanus secundum fragmentum in margine designatum, quod litteras AΙΤΕΙ ACC¹ continebat, MΕΝ|TATTEIN reposuit, quod hodie in editione Neapolitana legitur, cum supplendum sit: MΕΝ|TOITHN.

At mihi cum designationes perlustrarem, saepius contigit, ut ea, quae coniectando antea assecutus eram,

1) Philodemi volumina rhetorica ed. Sudhaus II, praef. p. IV sq.

probarentur litterarum vestigiis ibi denotatis, omissis in ipsa editione. Itaque ex maioribus fragmentis in margine designatis quae aliquid novi viderentur praebere, ea in tabula libello adiecta depinxi, ceteris autem locis quaecumque plura inveni, in apparatu adnotavi. —

Contra apogr. O ab homine linguae Graecae inscio confectum neque correctum esse a viris doctis demonstrant litterae falsae legenti hic atque illic obviae. Locis autem difficilioribus dignoscendis delineator non tanta diligentia studuit quanta collega Neapolitanus. Nec raro ubi maiores hiant lacunae, perditarum litterarum spatium in N accuratius indicatum est quam in O. Ecce duo exempla, quibus apte illustrari crediderim hanc apographorum discrepantium:

(cf. tab. I.)

N. X. 28 sq.

| | |
|------------------------|------------------------|
| A...NOMICΘ.HKAI.N- |NOMIC€.H.KA..N... |
| T....PAΔ...ΕINAIT.YCY. |PAΔ...CINAITT.... |
| HOΩ..IKO.....O | 80.....IKO..... |
| ΡΕΥCMEN.YTT.....PHM... |ΑΕΝΟ..... |
|ΓEK.HTI....AITOΦ. |EK..... |
| Λ.....AI.....ΑHTIK.. | |
| KAIT.....ITAP. | KAIT..... |
| ΠΟΛΛ..NOOY....KATAΔ.. | 85.....ΠΟЛА..... |
| OTATT...TATE...ΟΛΑ..IN | OTATT..... |
| AYTOΛ..ΘωC...ΣXONT.C | AYTOΛ.....PXONTO. |
|ΙENOΥΔΕKATATHN |'ΔΕKATATH. |

O. XII. 28 sq.

N. XIV. 22 sq.

O. VIII. 22 sq.

| | | |
|--------------------------------------|---------------------------------|---------------|
| ΛΙΓΩΝΖΩΗΣΟΤΟΛΟΥΔΕΓ | Λ. ΓΩΝ | ΛΛΟΥΔΕΙ |
| ϹΕ ΙϹΤΑΝΕ ΩΓΑΡΜΗ | | ΑΡΜΙ |
| Δ ΤΑ . ΑΤΤΟΛΛΥΜΕ | | ΑΤΤΟΛΛΥΜΕ |
| Ν . . . ΜΗΔΕΔΙΑΤΗΝΑΚΡΑΤΟΝ | 25 . . . ΝΕΙΜ ¹⁾ | ΙΝΑΚΡ. ΤΟΝ |
| Ϲ . . . ΔΗΝΠΤΕΡΙΤΟΠΛΕΟΝΚΑΙ | | Ο. ΛΕΟ . . . |
| ΤΟ . . . ΟΝΥΦΑΥ. ΚΥΖΗΤΕΙ | | ΑΥ . . ΙΖΗΤΕ. |
| ΝΕΡ . . ΙCΘΑΙΤΟΥΤ . . | | ΤΟΥ . . . |
| ΩCOIKO . . ΜΕ. ΘΟAINO | C . . . | ΘΟAINO |
| ΜΙΖΩΤΟΝΤΤΛΟΥ. ΙNC. APKATA | 30 MIZ. TON . . . IN . . APKATA | |

Attamen magnopere erraverunt libelli editores, cum apographum O omnino neglegendum esse ducerent. Neque enim desunt loci, quibus O unam vel complures litteras praebeat, quae desiderantur in N. Et hae ipsae litterae quanti momenti sint ad investigandam veram lectionem, quicumque haec studia attigerit non ignorabit. Quae cum ita sint, in comparanda editione praecipue N secutus quae O exhibit aut plura aut discrepantia ibi tantum commemoravi, ubi ad textum restituendum aliquid viderentur valere. Contra quae nova in ipsa papyro legi, omnia semper in apparatu notavi. —

1) Litterae ΝΕΙΜ, quae emergunt in magna illa lacuna quam praebet O, supraposita sunt atque etiam hodie in papyro servantur. Editores autem Neapolitani cum fragmentum, quod in col. XIII suprapositum erat, hoc loco insererent, litteras ΝΕΙΜ describere omiserunt.

III.

De voluminis ambitu et dispositione.
www.libtoori.com.cn

De ordine fragmentorum.

De ambitu voluminis. Volumen trunco est capite. Quantum autem reliquum sit a iusto voluminis ambitu si quaerimus, (Stichometria summi momenti est stichometriae exemplum adhuc metria.) quod sciam in voluminibus Herculaneis prorsus singulare¹⁾, cuius vestigia in sinistro nonnullarum paginarum margine etiam hodie in papyro emergunt.²⁾ Quae inveni, haec sunt:

π ('sovraposto') legitur col. IV, 38, olim exstabat in margine col. VI, 38.

γ legitur in margine col. X, 23.³⁾

χ legitur in margine col. XVIII, 16.

ψ legitur in margine col. XXII, 2.

ω legitur in margine col. XXV, 42.

Singulae autem litterae secundum ordinem alphabeti margini adscriptae centenorum fere octogenorum versuum⁴⁾ (i. e. quaternarum fere paginarum) spatio inter se distant.

1) Cf. tamen W. Croenert (*Wochenschrift für klassische Philologie*, Berlin 1906, Nr. 23, col. 595), qui stichometriam ducentorum versuum in papyro quadam Herculaneensi inveniri confirmat. Stichometriam punctis indicatam commemorat Croenert, *Archiv für Papyrusforschung* II, p. 359²⁾. De litteris ad capita indicanda in margine sinistro scriptis v. Croenert, Kolotes und Menedemus, p. 50.

2) In apographis tantum littera ψ descripta est. Littera ω hodie in papyro delecta legitur tantum in dis. 1.

3) Littera φ, quam in margine col. XIV olim exstitisse necesse est, hodie delecta est.

4) $\psi - \bar{\omega} = 181$ versus.

$\chi - \psi = 176$ versus.

$\nu - \varphi - \psi = 362$ versus.

Iam cum librarum a littera A numerandi initium cepisse consentaneum sit et littera ω in col. XXV fine legatur, totius voluminis ambitum nonaginta fere et octo columnarum¹⁾), i. e. 4500 fere versuum fuisse efficitur.

Sed plura hinc possumus elicere. Nam cum in emetiendo voluminum ambitu heroici versus mensura triginta sex fere litteras continentis veteres usos esse constet²⁾), huius autem voluminis versus vicenos singulos tantum litteras complectantur, his centum octoginta versibus respondere centum versus epicos facile suspicaris.³⁾ Et rem ita se habere appetet ex conspectu quem infra addidi.⁴⁾ Manibus igitur tenemus paulo tantum plus quam quartam partem apographi ex archetypo descripti, qui duo fere milia et quingentos versus amplectebatur.⁵⁾

1) Cf. Croenert in Hermae tom. XXVIII, p. 402: Die Rollen, soweit sich vorläufig ihr genauer Umfang feststellen lässt, sind niemals unter 100 Kolumnen stark.

2) Cf. Birt, das antike Buchwesen, cap. IV.

3) Exempla huius centenorum versuum epicorum stichometriae ex codicibus satis nota sunt. Cf. e. g. Martin Schanz Hermae t. XVI, p. 309 sq., H. Diels, Hermae t. XVII, p. 377 sq., W. Christ, Abh. d. I. Cl. d. K. Ak. d. Wiss. XVI. Bd. III. Abt., Fuhr, Mus. Rhen. t. XXXVII, p. 468 sq., Burger, Hermae t. XXVI, p. 463 sq. — Etiam in papyro Aegyptiaca primi a. Chr. n. saeculi similis stichometriae vestigium invenitur. v. Blass, Archiv f. Papyrusf. 1906, p. 480. — Sed de hac re propediem accuratius me agere posse spero. —

4) ψ — ω = 3797 litterae = 100 × 37,97.

χ — ψ = 3664 litterae = 100 × 36,64 litterae = 1540 syllabae.

ν — φ — ς = 7618 litterae = 200 × 38,09.

5) Papyrus versuum numero iam in margine textus annotato etsi subscriptione caret, tamen hoc ipso exemplo demonstrari videtur, id quod iam Birtius l. l. p. 189 et 213 suspicatus est, subscriptionibus in VH. sub titulo additis indi-

De dispositione quam inquiramus, eas quae ad nos pervenerunt accutus arguimus ratius examinemus necesse est. Servantur igitur in apographo N^o viginti octo columnae, quarum sex primae foede dilaceratae atque decurtatae non admittunt integrum textus restitutionem, reliquae vero ita possunt suppleri, ut exceptis paucis versibus plenus textus decurrat usque ad finem. Accedunt quattuor fragmenta non iam publicata, de quibus infra p. 21 et 23 accuratius exponam.

Totum autem argumentum in singulas columnas sic dispositum est, ut agant:

- I. col. I — col. VII, 37: de Xenophontis oeconomico.
- II. col. VII, 37 — col. XII, 2: de Theophrasti oeconomico.
- III. col. XII, 2 — col. XXVIII, 10: de propriis scholae praeceptis.

At erraverunt libelli editores, qui primas septem columnas eo quo in tabulis exstant et a Neapolitanis descripta sunt ordine re vera in papyro exstisset rati operam collocarent in explicando horum fragmentorum contextu. Atque ne Perronius quidem etsi alium statuit esse fragmentorum ordinem¹⁾), tamen cum editores secutus prorsus neglegeret eas columnarum partes, in quibus rara tantum atque dispersa emergunt ver-

catos esse versuum archetyporum numeros, non ipsorum exemplarium. contrariam sententiam argumentis non additis protulit Croenert in Hermae tomo XXXVIII, p. 357¹.

1) l. l. p. 37: Die natürliche Reihenfolge ist also:
col. I Xen. I, 2, Kritik der Definition.
col. IV Xen. I, 18—23, Vorbedingungen.
col. V Xen. II, 2, 3, Notwendigkeit der Ökonomie.
col. II Xen. III, 10—15. Bedeutung der Frau.
col. III Bedeutung der Frau und Vorgreifen auf Ischomachus.
col. VI Rückkehr zu Xen. III, 15.

borum frustula, verum poterat invenire. Attamen haec ipsa frustula haud exigui sunt pretii. Neque enim pari faciendum credo quod in columnae tertiae fine ex paucis verborum ruinis elici poterant 18 versus verbotenus fere translati ex Xen. oec. III, 4 et 5. Atque etiam in ceteris columnis etsi verborum contextus non potest restitui, quos tamen auctor spectaverit Xenophontis locos, ex certis cognoscitur verborum vestigiis. Quae ubi diligenter perscrutatus eris, concludas necesse est eorum, quae de Xenophontis oeconomico disputata erant, exiguam tantum ad nos pervenisse partem. Accuratissime enim singula Xenophontis praecepta suo more Philodemum pertractasse complures demonstrant loci ex oeconomico verbotenus fere repetiti (cf. col. II, 22 sq., col. III, 32 sq., col. IV, 5 sq.). Qua in re ipsum Xenophontis disputandi ordinem eum secutum esse probatur cum disceptandi ratione in aliis scriptis usurpata¹⁾ tum recensione libelli Theophrastei, quae inde a col. VII integra nobis servata est. Iam inspicias quaeso singulorum fragmentorum argumenta. Recensentur igitur:

- col. I oec. I, 2—4.
- col. II oec. III, 10—15.
- col. III a oec. I, 14 (?).
- col. III b oec. III, 4—6.
- col. IV oec. I, 16—II, 4.
- col. V oec. II, 1—4, tangitur oec. VII.
- col. VI tangitur cap. VII, redit ad oec. II.
- col. VII oec. XII, 3 sq.

1) Cf. Phil. Rhet. I, p. 245, 14 sq.; II 209, 30 sq., suppl. p. 39, 5 sq.

His obiter tantum perlustratis statim elucet columnas in editione Neapolitana falso ordine propositas et col. IIIb et col. II inserendas esse post col. VI. Sed ultra progredi licet. Neque enim mediocriter miramur inferiorem columnae tertiae partem (IIIb) spectare ad oec. III, 4—5, cum superior versetur in recensendo cap. I. Iam si consuluerimus ipsam papyrum, illa versuum initia in N designata, ex quibus col. IIIb restituimus, hodie deesse videmus. Itaque similiter atque in Academicorum indice¹⁾ etiam in hac papyro accidit, ut columnae alicuius pars superior cum alterius inferiore conglutinaretur.

Accedunt alia. Col. XXV, 31 Philodemus supra se profitetur demonstrasse quam sit absurdum aequas portiones distribuere in singulos menses vel etiam in totum annum. Respicit sine dubio ea, quae animadverterat in Xen. oec. IX, 8: *χωρὶς δὲ καὶ τὰ κατὰ μῆνα διαπανώμενα ἀφείλομεν, δίχα δὲ καὶ τὰ εἰς ἐνιαυτὸν ἀπολειογισμένα κατέθεμεν* (cf. oec. VII, 36). Sed frustra quaesiveris Philodemi iudicium in iis quae servatae sunt columnis. — Col. X, 18 sq. haec leguntur: *τὸ δ' ἔξομηρεύειν ταῖς τεκνοποι[ι]α[ις ἐ]λογημέναι κοινῶς χεῖρο[ν ε]ἶναι δοκεῖ τοῦ παρὸτ Σενο[φῶντι] ντι [κελεύειν] τρέφειν [ἔ]κ τῶν ἀγαθῶ[ν], οὐκ ἐκ τῶν ποιηρῶν κελεύοντι.*

Quae cum pertineant ad Xen. oec. IX, 5 (v. ann. ad versum), Gadarenus etiam hunc oeconomi locum in perdita libelli parte si non recensuisse, at tamen tetigisse videtur. —

1) Cf. Mekleri edit. praef. p. XXVI.

Denique duas primas papyri tabulas in Museo Neapolitano adservatas si inspexerimus, haec invenimus: De novis fragmentis. (fr. I et II.)

www.libtool.com.cn
Tabula I.

Quattuor frustula non cohaerentia:

| I | II | III | IV |
|-------------|---------|---------|--------|
| fr. I ined. | versuum | versuum | col. I |

fines fr. I initia fr. II ined.

Praeterea in sinistro columnae primae margine existant antecedentis alicuius columnæ versuum fines, quos, cum exigui pretii videantur esse, infra describam.¹⁾

Tabula II.²⁾

Tria frustula non cohaerentia:

| I | II | III |
|----------------------------------|-------------|--------------------------|
| fr. A ined. + fr. B ₁ | col. III—VI | fr. B ₂ ined. |

Accedunt igitur quattuor fragmenta adhuc non publicata, quorum quae primo et secundo loco numerantur (fr. I, II) cum pertineant ad Xen. oec. I, 4—8, post col. I inserenda esse appetet. — Contra quae in tab. II servantur fragmenta a ceteris prorsus seiungenda sunt. Sed de his postea. —

Iam quae ex his lucrati sumus si paucis comprehendimus, haec pro certo licet affirmare:

1) Initio tres fere versus desunt, sequuntur ε | ΙΘΑΙ | ΧΝΟΥ | ΤΤΑΡΑ | ΛΒΟΝΟΥ | ΑΗΤΙΚΟΥ | ΣΙΜΕΝΟΝ | ΔΓΙΛΗΝ
ΣΧΕΔΟΝ | ΚΜΕΤΗ | ΝΕΞΤΙΝ | ΛΑΠΑ | ΟΙΑΥ | ΛΟΓΕΙΙC | ΥΤΕ
ΙΩΙΚΟ | ΛΟΥΝΥΝ | ΛΑΧΙΗ | ΦΩ | ΤΑ cetera frustula omitto.

2) v. tab. II in fine libelli additam.

- I. in evolvenda papyro exceptis paucis fragmentis (fr. I, II, col. I—VI) tota quae pertinebat ad Xenophontis oeconomicum disputatio periit.
- II. quae remanserunt fragmenta in tabulis falso ordine proposita et semel temere conglomerata sunt.

De erditis colum- nis. Omnino autem ex recensione libelli Xenophontis quot desiderentur paginae suspicari tantum licet.

Tria enim prima oeconomici capita cum accuratissime videatur percensuisse, de cap. IV—VI, quae maximam partem versantur in laudanda agricultura et enarrandis Cyri minoris studiis rerum rusticarum, pauca tantum delibavisse putandus est. Nam in perstringendo libello postquam pervenit ad cap. XIV, cetera silentio transit septem capita, cum satis habeat dicere:

(VII, 26 sq.): ἀλλὰ γὰρ [ο]ὐδὲν ἔτι δεῖ προσδιατρίβειν [τ]οῖς Ξεν[ο]φῶντος οἰκουνο[μι]κοῖς, τῶν ἐφεξῆς γεωργ[ι]κὴν τέχνην περιεχόντων, [ἢ]ν δ' ἰδίας ἐμπειρίας, οὐκ ἀπὸ [φι]λοσ[ο]φίας γίνεσθαι συμβαλ[νε]ι· πο[οσ]έτι δ' οὕτ' ἀναγ[κ]αῖα γι[νώ]σκ[ε]σθαι τοῖς φιλοσόφοις [πέφυκεν] οὕτ' οἰκεῖα τὰ κατ' αὐ[τὴν] ἔργα] συντελεσθαι δι' αὐ[τῶν]. —

Maxima autem lacuna post col. VI statuenda est, quae quot complectatur paginas potest indagari. Nam in margine col. VI, 38 cum olim scriptum esset $\overline{\pi}$ et littera γ adscripta sit col. X, 23, inter has duas litteras quindecim apparent intercedere paginas. Iam cum col. VII, VIII, IX servatae sint, inter col. VI et col. VII duodecim paginae olim exstabant, quarum duo tantum fragmenta (col. III^b et col. II) ad nos pervenerunt.

Restat, ut fragmentorum ordo qualis videatur fuisse brevi illustretur conspectu:

Perditum est recensionis initium.

Col. I. Xen. oec. I, 2—4.

Fr. I. Xen. oec. I, 4.

Fr. II. Xen. oec. I, 8.

Col. IIIa. Xen. oec. I, 14.

Col. IV. Xen. oec. I, 16—23; II, 1—4.

Col. V. Xen. oec. II, 1—4 (tangitur oec. VII).

Col. VI. (tangitur oec. VII) reddit ad oec. II.

Col. IIIb. Xen. oec. III, 4—6.

(una tantum videtur desiderari columna)

Col. II. Xen. oec. III, 10—15. transit ad cap. IV.

(desunt octo vel novem paginae).

Col. VII. Xen. oec. XII, 5—XIV.

Tota igitur recensio viginti fere paginas complebat.
Cum autem totum volumen 98 fere paginas completeretur (v. p. 17), hanc recensionem antecessisse necesse est sexaginta fere paginas in evolvenda papyro perditas.

Quae quid continuerint¹⁾, necopinato indicatur duobus illis fragmentis ineditis, quae in tab. II alterum in sinistro margine, alterum in dextro servata sunt. Quorum fr. III in parte superiore tegimine obiectum duarum columnarum latera, alterius sinistrum (col. A), alterius dextrum (fr. B₂) exhibit. Fr. IV autem cum eidem columnae tribuendum sit atque fr. B₂, in editione littera B₁ signatum est.

1) Ex viris doctis, qui textum tractaverunt, solus Spengelius (Comm. Ac. Mon. 1838, p. 1008) non exiguam partem libelli deletam esse suspicatus est. Sed erravit, cum haec addidit: „Was aber unserem Epicureer Zweck und Bedeutung der Oeconomie war, hatte er in den früheren, nicht erhaltenen Columnen auseinander gesetzt“, cum inde a col. XII de his quaestionibus accuratius disputetur.

Utinam plura nobis servata essent ex hoc genere fragmenta! Nam quamvis mutila sint, tamen ita possunt suppleri, ut fere verbo tenus referant libelli Theophrastei sententias illas, quas Philodemus recensuit col. X, 28 sq. et col. XI, 30 sq. Cum autem in Col. A media tantum versuum pars servata sit, omnes lacunas accurate emetiri non possumus. Tamen plus quam semel librorum nostrorum memoriam corrigi si apparatum inspexeris facile cognosces. Neque vero desunt loci, quibus Philodemi textus a nostro magnopere videatur abhorruisse (col. A, 2—5 et 19—21). Verum tamen Philodemi codicem omnibus, qui tempus tulerint, praestantiorem fuisse iam nemo negabit.¹⁾

Praeterea autem haec duo fragmenta testimonio sunt perditam libelli partem complexam esse totum Theophrasti oeconomicum. Sed ex sexaginta paginis perditis hic Theophrasti libellus octo tantum fere paginas complebat. Iam si reputaverimus adversariorum duo tantum Philodemum recensuisse scripta, Xenophontis primum, alterum Theophrasti²⁾), auctorem etiam ex Xenophontis oeconomico illa capita, quae in altera voluminis parte ad trutinam vocavit, initio libelli proposuisse manifestum esse crediderim. Continebant autem 45—50 paginas. —

Totum igitur de oeconomia tractatum in tres partes Philodemus distribuit, quarum

1) Quod recte iam perspexit Susemihlius, Aristotelis quae ferunter oeconomica, Lips. 1887, praef. p. XXVI.

2) In col. VII, 37 sq. absoluta Xenophontis libelli recensione auctor pergit his verbis: Λῆπον δή, διότι καὶ πρὸς [τὰ] π[λεῖ]στα τῶν Θεοφράστον [διειπέ]γμεθα ταῖς δυνάμε[σιν] ἔκιθεν κεκεφαλιῶ[ν] μεν να, μ]ᾶλλον δὲ καὶ τὰ τῶν ἄλ[λων] ετ col. XXVII, 13 sq.: ε]λ δέ τινα καὶ τῶν περὶ Εερ[ο]φάντη καὶ Θεοφράσται συν[ε]χωροῦμεν οὐκ ἀδόκιμα κ[αὶ] φιλοσόφοις εἰναι κτλ.

prima proponeret adversariorum, quos dicit
τὸν σατραπικωτέροντ τῶν φιλοσόφων (col.
XXVII, 31), sententias refelleret secunda, tertia
denique praecipue Metrodori vestigia secutus
(v. p. 33) propria ederet scholae praecepta.

IV.

De adversariis a Philodemo impugnatis.¹⁾

In oec. I, 2 sq. Xenophon inducit Critobulum dicentem illum vulgo bonum putari oeconomicum, qui possit εὖ οἴκεῖν τὸν ἰδίον οἶκον. Quae definitio amplificatur iis quae sequuntur: Ἡ καὶ τὸν ἄλλον δὲ οἴκον, ἐφη δὲ Σωκράτης, εἰ ἐπιτρέποι τις αὐτῷ, οὐκ ἀν δύναται, εἰ βούλοιτο, εὖ οἴκεῖν, ὥσπερ καὶ τὸν ἑαυτοῦ; . . . ἔμοιγε δοκεῖ, ω̄ Σώκρατες. — Iam audiamus Philodemi censuram, quae, cum in ipso textu constituendo verum fugeret omnes²⁾ qui operam ei navarent viros doctos, non poterat evenire, ut recte explicaretur. Haeret igitur ille in voce εὖ, quae cum multifariam possit explicari, fuisse censem Xenophontis, si quidem a vulgata definitione exordium sumpturus esset, ita eam intellegere, ut vulgo soleret intellegi. „Quodsi“,

1) Fr. Javaronium in commentario plurima falso interpretatum esse nemo mirabitur. — Nuper libelli argumentum adumbravit Maximilianus Hodermannus in dissertatione, cui inscripsit: Quaestionum oeconomicarum specimen. Berolini 1898. Qui cum persuasum sibi habeat „locis difficilioribus et explicandis et illustrandis“ Goettingum, Schoemannum, Spengelium ita operam navasse, „ut quantum quidem fieri possit, textus egregie videatur restauratus esse,“ in enarrando arguento praesertim Javaronii commentarium secutus ipse non poterat facere, quin multos errores committeret.

2) Italos, Goettingum, Spengelium, Hartungium, Perronium, qui hanc unam sententiam alius aliter constituerunt.

inquit, „illud »εὗ οἰκεῖν τὸν ἔδιον οἶκον καὶ ποιεῖν οἰκεῖσθαι τὸν ἀλλότριον« Xenophon ita volebat intellegi, ut boni esset oeconomici (v. 11) τὸ πορέξειν πολλὰ χρήματα καὶ φυλάττειν, πᾶς διαμενεῖ τὰ πορισθέντα καὶ προϋπάρχοντα, et si haec ipsa notio verbis illis aut tum subiungi solebat aut solet nostra aestate, hoc iam facile condonabimus. At si intellegebat τὸ μεγαλωστὴ συμφέρον καὶ μακαρίως, nemo sane probaverit. —

Sequuntur fragmenta trium paginarum (fr. I, fr. II, col. IIIa), quorum versus nimis mutilati sunt, quam ut sententiarum conexus possit restituiri. Hoc tamen ex verborum vestigiis certe possumus cognoscere, disseruisse Philodemum de Xen. oec. I, 4—15, ubi auctor docet illum bene administrare domum, qui omnibus rebus et bonis et malis ita sciatur uti, ut suo ipsis inserviant commodo.

col. IV. Tum transit ad examinanda ea, quae de vitiis a recte dispensandis rebus domesticis homines multos retinentibus exposita invenit in oec. I, 16 sq. Paucis autem his absolutis — nihil enim videtur reprehendere nisi id, quod praeter dicendi consuetudinem Xenophon eos, qui vitiis laborent, servos velit esse dominorum pessimorum et gravissimorum, ignaviae, negligentiae, luxuriae cet.¹⁾ — statim eum perrexisse ad recensendum secundum oeconomici caput demonstrant exiguae inferioris columnae reliquiae. Et rursus offendit in Xenophontis dicendi usu. „Qui enim“ ait „fieri potest, ut Socrates, qui quinque tantum minas possideat, se ipsum divitem esse profiteatur, Critobulum vero hominem magnis florentem opibus, appellat pauperem atque adeo miserandum et mendicum! Immo sic iudicare hominis est,

col. V. ¹⁾ Cf. quae ipse docet de cupiditatibus finiendis col. XXIII, 36 sq.

qui falsam secutus opinionem quae singulis rebus
subsit notio animo praecipere supersedeat. Iam etsi
proprium fuit Socratis, quales verae essent hominum
conditiones non reputare, insanit tamen, cum satis
sibi dicat esse quinque minas ad satienda naturae
desideria atque inanem esse bonorum abundantiam.
At vero hanc non fuisse eius mentem dilucide apparet
ex iis, quae in sequentibus¹⁾ Socrates ipse concedit
Ischomacho, homini non solum peritissimo admini-
stranda rei domesticae, sed eidem probo atque
honesto.“ Quae sequuntur adeo discepta sunt, ut,
qualis fuerit Philodemi sententia et quem Xenophontis
locum ante oculus habuerit, nos ignorare fateri
cogamur.²⁾ Tamen cum testis citetur Ischomachus, col. VI.
arte cum his coniungas quae leguntur columnae sextae
initio: . . . την ὡς οὐχ ἄξιον ἀνδρὸς σώφρονος,
[οὗ]ος Ι[σχό]μαχος ἦν, ὃν θρ[α]σύ[ν] μενος οὐ μόνον
οἰκονομικὸν ἀλλὰ καὶ καὶ λόγον κάγαθόν[ν] Εὔνοφῶν
εἰσῆγεν καὶ Σωκ[ρά]τους ἀμφοτέρω[ς] διδάσκαλον.
Iam redit eo, unde digressus erat (oec. II). Disserit
autem de iis, quae Socrates ipse de domo bene ad-
ministranda una tantum schola Critobulum conetur
edocere. Quale vero fuerit eius iudicium, in dubio
relinquendum est.

In omnia autem quae a Socrate in sequentibus
quasi indicantur oeconomiae praecepta diligenter eum
inquisivisse documento exstant verba illa, quae in

1) Inde a cap. VII.

2) Javaronius confert quae dicit Socrates in cap. XI, 9 sq.:
Μέλει γὰρ δὴ σοι, ὁ Ἰσχόμαχε, δύως πλοντῆς καὶ πολλὰ κεῖ-
ματα ἔχων πολλὰ ἔχης πράγματα τούτων ἐπιμελότενος; καὶ πάνυ
γ', ἔφη ὁ Ἰσχόμαχος, μέλει μοι τούτων ὅν ἐρωτᾶς κ. τ. λ. sed
v. ann. ad col. V, 25.

columnae tertiae fine restitui potuerunt ex paucis litterarum vestigiis.

^{col. III. b.} Verbo tenuis enim expressa sunt ea, quibus Socrates (oec. III, 4—6) demonstraturum se esse pollicetur aliorum servos, qui quasi vinculis constricti teneantur, saepissime aufugere, aliorum, qui libera utantur conditione, libenter manere et mandata exequi sedulo, rursus alios ex agricultura divitias sibi congerere, alios in extremam incidere egestatem. Huic quae confinis olim fuit columna argumentum videtur sumpsisse ex sequentibus quinque capitibus tertii paragraphis (c. III, 6—10).

^{col. II.} Sequitur deinceps columna II, qua recensentur quae Xenophon (III, 10—15) a Socrate dicta narrat de uxore. Censem enim Gadarenus non ignorasse Critobulum aliorum uxores inservire opibus augendis, aliorum minuendis. Sed num omnino necessaria et utilis sit uxor philosopho ad parandam vitam beatam et omnisne uxor idonea sit, quae a marito de officiis suis instituatur, denique utrum omnia quae peccet uxor marito vitio sint danda necne, haec iure suo ex Socrate Critobulus poterat quaerere. At ille discipulo suo adducere vult Aspasiam, utpote quae haec omnia evidenter possit explanare. Quae vero in sequentibus ipsem Socrates adiungit de uxore aestimanda praecpta, si non ementita, attamen plane sunt superflua, cum inde a cap. VII. Ischomachus ipse ea multo accuratius exemplis illustret.¹⁾)

1) P. confert, quae in Xenophontem animadvertis Lincke, Xenophons Dialog περὶ ὀλυμπίας, Jena 1879, pg. 57: „Wie lächerlich ist die gedankenlose Anmaßung, daß er (Socrates) unmittelbar nach seinem Geständnis über seine Unerfahrenheit in der Ökonomik seine eigene Meinung über wirtschaftliche Gelegenheiten an den Mann zu bringen sucht.“

In sequentibus novem paginae interciderunt.¹⁾ Ex col. VII. tota recensione restat sola columna septima, quae sic incipit: *ἄλλων δομεὶος οὐκ εἶναι [τι]θέναι μάρον νούτιον.* Perstringuntur igitur praecepta illa, quae de instituendis villicis in duodecimo oeconomici capite eduntur ab Ischomacho: eos nempe servos, quos dominus bonos dispensatores reddere sibi proposuerit, primum beneficiis esse conciliandos. Stulti enim est hominis, ait Philodemus, contendere nisi procuratores benevolos alios utiles non esse. Quis vero beneficiis et laudibus potest educari nisi is, qui iam novit res domesticas dispensare?²⁾ Porro quae dicit de imperio et educatione servorum animalium exemplis propositis longa sunt et ab agricolis curantur. Omnino autem intolerabile est, quod procuratores hac arte vult institui. Qui enim procurator ea potest perficere, quae philosophi propria sunt? Item quae praecipit Ischomachus de servis ad iustitiam atque integritatem conformandis inutilia sunt. Iam vero si autumat etiam procuratorem servos iustos reddere posse, similia dicit eis, quae a somniantibus finguntur. Sed missum faciamus Xenophontem, cetera quoniam agri colendi artem comprehendunt, quae philosophis cognitu non est necessaria.

Quae sequuntur verba in papyro lacunis misere foedata ab aliis interpretibus aliter constituta et explicata sunt. Ego ne longus sim, meam statim pro-

1) v. p. 23.

2) Similiter iudicat Hodermannus l. l. p. 17: Deinde qua ratione virtutem ἐπιμελείας pater familias alios docere debeat, auctor exponit (cap. XII, 11 sq.). Denique tantum pretii virtuti illi tribuit, ut maioris momenti esse existimet curam et diligentiam (ἐπιμελεῖσθαι) quam rei notitiam. cf. etiam cap. XX, 21.

ponam interpretationem: Perlustratis Xenophontis sententiis simul contra plurima Theophrasti¹⁾ praecepta disputavimus. Quod enim attinet ad ipsas libelli eius sententias, summatim translatae sunt ex Xenophontis oeconomico.²⁾ Atque magis etiam quam Theophrasti ceterorum scripta oeconomica recensuimus, quippe qui omnes quasi cuniculos egerint in Xenophontis ut praestantissimo de oeconomia libro³⁾, id quod aliquando etiam Theophrastus fecit. Itaque ea tantum remanent examinanda, quibus Theophrastus a Xenophonte dissentit. Ac primo quidem supervacanea sunt quaecumque in primo oeconomici capite auctor exposuit.⁴⁾

col.
viii.

Neque enim quidquam ad propositum pertinet, quod ille oeconomiam a politica differre pronuntiat, neque verum est politicam neutiquam, oeconomicam vero utique esse dominationem, immo est aliqua inter eas analogia. Sed ne ita quidem rei interest, si quis,

1) Quo iure librum illum, qui sub Aristotelis nomine nobis servatus est, Philodemus tribuat Theophrasto, non est, quod hic accuratius inquiratur. Inspicias velim Susemihli editionis praef. p. VI sq., qui varias virorum doctorum sententias diligenter concessit et examinavit. Ceterum ego propter scribendi genus ceteris Theophrasti scriptis inferius, elegantius tamen quam quo in commentariis utebantur, tenere nos crediderim ipsius Theophrasti doctrinam a discipulo quodam in artius redactam.

2) Cf. Sus. praef. p. V ann. Hodermann l. l. p. 26.

3) Cf. Hodermann, qui l. l. p. 50 perlustratis veterum de oeconomia sententiis sic concludit: „eos autem, qui singula consectando et colligendo post Xenophontem et Aristotelem de hac materia disputaverunt, adeo non suo iudicio stetisse arbitror, ut, licet discrepet inter eos in rebus parvulis ac levendis, non magis ex dogmatis Aristotelicis pendeant quam ex Oeconomico Xenophontis, praestantissimo illo, ut Schoemannii verbis utar (op. ac. III, 207) de administratione domestica libello.

4) p. 1343a, 1—17.

qualis inter politicam et oeconomicam intercedat distinctio, accuratius explicat.

In sequentibus¹⁾ autem quod duas Theophrastus ponit οἰκίας partes: ἀνθρωπόν τε καὶ κτῆσιν²⁾ rerumque naturam in partibus minimis censem recognosci, hoc probatur Philodemo ut philosopho non indignum.³⁾ Sed cum falso interpretetur vocis ἀνθρωπος notionem, iam quaerit, quomodo cohaereant cum antecedentibus ea quae adduntur: ὥστε καθ' Ἡσιόδον δέοι ἐν ὑπάρχειν „οἶκον μὲν πρώτιστα γυναικά τε“. τὸ μὲν γὰρ τῆς τροφῆς πρῶτον, τὸ δὲ τῶν ἐλευθέρων.⁴⁾

Apparet autem Hesiodi verba Theophrastum ea de causa addidisse, quod οἶκον respondere vellet voci κτῆσις, γυναικά voci ἀνθρωπος.⁵⁾ Haec igitur est eius divisio:

| | | |
|------------------------|--|------------------------|
| ἀνθρωπος. | | κτῆσις. |
| ἐλεύθεροι (καὶ δοῦλοι) | | τροφή. |
| (τούτων πρῶτον: γυνῆ) | | (ταύτης πρῶτον: οἶκος) |

Philodemus autem cum ἀνθρωπον de domino solo acciperet, Theophrastum hac partitione facta cetera

1) p. 1343 a, 18—24.

2) Schoemannus l. l. p. 211 confert quae Aristoteles disputatione Pol. p. 1253 b sq. et Callicratidas περὶ οἴκων εὐδαιμονίας apud Stob. Flor. III, p. 141 ed. M.: τῶν δὲ μερέων αὐτοῦ (scil. τὸν οἶκον) δύο πρῶτα καὶ μέγιστα, ἀνθρωπος καὶ κτῆσις, τὸ κυβερνάμενον καὶ τὰν χρᾶσιν ἐμπαρεχόμενον et paullo post: τῶν δὲ συμπλαισούντων τὸν οἶκον ἀνθρώπων τοὺς μὲν συγγενέας τοὺς δὲ οἰκήγοι.

3) Recte enim contra Spengelium de explicanda voce Ιδιον disputavit Perronius l. l. p. 51 coll. col. IX, 44 et col. XXVII, 12 sq.

4) βοῦν τ' ἀροτῆρα in Theophrasti codicibus ad Hesiodi versum supplendum librarios de suo addidisse iam vidit Javaronius in praef. p. IX.

5) Hoc iam monuit Spengelius l. l. p. 509.

omnia, quae ad domum pertinerent, κτήσει censem
tribuisse.¹⁾ Quod cum sequentibus ita tantum potest
convenire, si Hesiodi verba nihil significanterent εἰ
κτήσις, atque etiam γαμετή, καὶ ταῦτα συνοικο-
μοῦσα, comprehendenderetur κτήσεως appellatione (v. 3
καὶ πᾶς οἶκος τῆς τροφῆς πρῶτον; καὶ διὰ τοῦ γη-
τῶν ἐλευθέρων πρῶτον; Et cur de uxore Hesiodi
cogitasse putat, cum multi tradant eum scripsis
κτητήν, οὐ γαμετήν? —

Exinde obiter perstringit quae de quaestu facier
(κτήσει) praecipit Theophrastus.²⁾ Cur tandem, inquit
agriculturae primum ille tribuit locum artemque illae
quae ex metallis victum comparat, honestorum contendit propriam esse hominum?³⁾ Iam vero in
quae de hominum consuetudine profert⁴⁾, cur prim.
col. ix. uxori vult haberi curam, cum etiam sine uxore be-
ateque vivi possit? Plane autem aliena sunt
oeconomia vulgo accepta, quae de coniugio disputa
— Atque etiam de servis comparandis et educan.
col. x. quae eduntur praecepta⁶⁾ omnia fere improbat Phi-
demus. Porro ad servorum usum quae pertinent
partim philosophus non curat partim, etsi non ine-
dicta sunt, tamen aliena sunt a proposito.

Denique pergit ad examinandum ultimum oecon.
col. xi. mici caput, quo agitur de bonorum (χρημάτων) cura:
Quae cum secundum Theophrastum his quattuor con-
tineatur generibus, ut aliquis sciatur et parare bona
custodire et apte disponere et recte iis uti, Philoden
priora duo tantum agnoscit genera ut vulgo acce-

1) Cf. Schoemannum l. l. p. 211. 2) 1343a, 25—1343b

3) Cf. quae ipse praecipit col. XXXIII, 3 sq.

4) 1343b, 7—1344a, 22. 5) Cf. col. II, 8 sq.

6) p. 1344a, 23—1344a, 34. 7) p. 1344a, 35—1344b,

8) p. 1344b, 22—1345b, 2.

atque necesse est.¹⁾ De singulari auctore Theophrasti placitis quae iudicat cum iuris plenariae sint atque ridicula non est, quod hic ensarrantur: modum ille in stirpo quaerit. —

Refutatis adversariorum sententias auctor transit ad explicandam ipsam scholae doctrinam. Nam igitur disputandi viam atque rationem postquam paucis praescriptis, haec fere sunt eius verba: Philosophum certa divitiarum mensura uti praeceptrores securi in libris De divitiis exposuimus. Itaque oeconomiam artem statuimus esse has divitias comparandi et custodiendi. Pertinent autem ad propositum, quae Metrodorus docuit in libri Περὶ πλούτου capite illo, quod scriptum est contra eos, qui forte contendant cynicos beatissimam affectare vitam, quippe qui, quoad fieri posset, se liberaverint omnibus rebus, quae curam aliquam afferrent atque sollicitudinem. —

Qui adnexus est tractatus (XII, 45—XXI, 35) sic fere potest inscribi: ὅτι μόνος δὲ καὶ Ἐπίκορος σοφὸς καλῶς χρήσεται τῷ πλούτῳ μέγορ εὔχορ τῷ συμφέροντος. Totum autem hunc tractatum proprietate quadam dicendi²⁾ et praesertim hiatu admisso³⁾

1) Cf. col. XII, 8 sq.

2) Praeter exempla a Sudhausio allata notari possunt col. XIV, 21, ubi auctor (fortasse hiatus vitandi causa v. adu. 38) τὸν πόνον scripsit pro οἱ πόνοι, col. XIX, 7: δοῦτον δὲ μάλιστα τὸ πλεῖον αὐξοτο neglegentius τὸ πλεῖον positum est pro τῇ ὑπάρχοντα sim. — col. XVIII, 25 sq. structura valde artificiosa est.

3) Hiatus exempla Sudhausius collegit, neque tamen prorsus hiatus leges neglectae sunt: cf. e. g. col. XIV, 15 sq.: δέ δὲ καὶ πλεῖον, τῶν ἄλλων δὲ ἀπολλάττει δυσχερῶν οὐ πλεῖον, δὲ μὴ δείξῃ τις κ. τ. λ. — Ceterum verborum terminatio, qualis est — ται, semper elisa est v. XVIII, 17: συνπαρέπειται πόνοις, XVIII, 29: γενήσεθ' ικανόν, XIX, 19: χρήσεθ, δὲ δὲ πλούτος. Itaque XII, 46 supplendum videtur: συνπαρέπειται ήσυχα. —

a Philodemo alienum ex ipso Metrodori libri capite supra citato transcriptum esse cum in Hermae tomo XXXXI, p. 45b sqq. exemplis propositis probaverit Sudhausius, ego ne acta agam ad hanc commentationem te delegatum esse volo. Quae autem ipse sub finem libelli addit praecepta, ea per se plana esse credo. —

* * *

Reliquum est, ut gratias agam quam plurimas praceptoribus carissimis, qui de me et de opusculo meo eximie meriti sunt: Sigofredo Sudhausio, viro humanissimo, qui postquam auctor mihi exstitit horum studiorum, quantopere me iuverit opera atque consilio in edendo libello magis expertus sum quam editus poterit testari, et Paulo Wendlandio, viro mihi benevolentissimo, cuius opem numquam mihi defuisse grato animo profiteor. Denique facere non possum, quin stipendii Schassiani curatorio, cuius beneficio ipsam papyrus in Museo Nazionali Neapolitano perscrutandi copia mihi data est, pro adiumento, quod ad iter Italicum praestitit, gratias persolvam singulares.

